

PARS VI.

PROPHETAE IV MAIORES ET XII MINORES, LIBRI DUO MACHABAEORUM

Vidisti diligentiam prophetarum, quomodo (de Christo) ventura omnia praedixerunt? Quomodo ergo adhuc in incredulitate perstas, cum tantam virtutis eius demonstrationem acceperis?

S. Io. CHRYSOST. in sermone: *Quod Christus sit Deus.*
Vide tom V Operum huius s. patris, pag. 482,
Edit. Antwerp. anno 1614.

SECTIO I.

DE PROPHETIS GENERATIM SPECTATIS

Cum PROPHETIAE sint unum ex praecipuis argumentis quibus veritas et divinitas nostrae religionis invicte demonstratur; haud mirandum, quod eadem a deistis, aliisque tam antiquis quam recentioribus christianae religionis hostibus acerrime impugnentur. Sic famosus atheismi doctor *Spinoza* nil omisit ad evertendam prophetiarum auctoritatem et veritatem. Similiter *Du Marsais* in impio opere suo, cui titulus *Anatomia christianae religionis*, varia contra prophetias *Iacobi*, *Isaiae*, *Ieremiae*, *Danielis* etc. impudenter effudit (1). Taceo plures alios incredulos, qui divinorum vaticiniorum in sacris literis extantium veritatem aut divinitatem negant et pernegant. Unde operae pretium esse duximus, naturam, possibilitatem atque existentiam prophetiarum divinitus inspiratarum paullo distinctius evolvere, ac ab in-

(1) Ita cl. *Nonnotte*, Diction. philosoph. de la religion. art. *Prophéties* testatur, ubi dicti sycophantae argumenta contra prophetias divinas prolata, luculenter refellit.

credulorum diceriis et blasphemiis vindicare.

1. QUÆRES I. *Quid vox PROPHETA proprie significet?* R. Omnium sapientum iudicio, vox *propheta* in sensu stricto et maxime proprio accepta, significat hominem, qui res omni naturali sagacitate superiores (praesertim futuras) divina luce collustratus cognoscit, easque vel per signa, vel per verba iussu divino manifestat.

Dixi: *Vel per signa vel per verba.* Nam non semel prophetae a Deo iussi sunt factis prophetare, et portendere res futuras: ut cum *Isaias* (2) nudus incessit, spoliationem Aegypti et Aethiopiae significaturus; cum *Ieremias* (3) vincula et compedes collo gestavit, quo captivitatem babyloniam portenderet; cum *Ezechiel* (4) trecentis et nonaginta diebus uni lateri incubuit, et in fimo bouum panem coquere iussus est, quo obsidionem et famem Ierosolymae praenuntiaret; aut cum praeeptum (5)

(2) Cap. 20.

(3) Cap. 27, v. 2. (4) Cap. 4.

(5) Cap. 12.

a Deo accepit, ut faceret vasa transmigrationis et transmigraret per diem in conspectu populi, in signum quod populus iudaicus transmigrare deberet.

2. COROLLARIUM. Quamvis vox *propheta* aut *prophetare*, varias alias in s. Scriptura significationes habeat; nulla tamen est magis propria, quam modo assignata. Nam nomen *προφήτης propheta*, si *Eusebio* (1) credimus, a verbo *προφάτω*, id est, *portendo*, *significo*, originem habet; vel potius, ut *Isidorus hispalensis* (2) existimat, a verbo *πρόφημι*, hoc est, *praefero*, *praelequo*, *praedico*. « Quos enim gentiles, ait laudatus s. doctor, vates appellant, hos nostri prophetas vocant, quasi praefatores, quia porro fantur, et de futuris vera praediciunt. » Concordant huic etymologiae etiam voces hebraeae *נביא Navi*, *חזיה Choze*, et *רוהה Rohe*, quibus hebraei loco nominis *propheta* utuntur. Nam *Navi* peculiari notione *futurorum praenuncium* significat (3), ut ex Scripturae loco non uno (4) constat: *Choze* vero, et *Rohe* significant *videntem*, quo nomine indicatur, *prophetam* esse eum, qui oculos mentis in res futuras, aut alioqui humanae perspicaciae incognitas alte defigit. Unde 1 Reg. 9, v. 9 legimus: *Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Atque hoc vocabulo *videns* aut *visio* ad designandum prophetam aut prophetiam s. Scriptura saepe (5) utitur. Est igitur *propheta* proprie dictus ex ipsa etiam huius nominis etymologia ille, qui res (maxime futuras) omni naturali sagacitate superiores divina luce

collustratus cognoscit, easque aliis iussu divino manifestat.

3. QUÆRES II. *An notioni prophetae in sensu stricto accepti hactenus a nobis stabilitae non obstet quod Scriptura hanc vocem PROPHE- TA aut PROPHETARE in variis aliis significationibus minus propriis diversis in locis accipiat?* R. Non obstat. Significatio enim propria alicuius vocis aut nominis non excludit alias eiusdem vocis aut nominis significationes minus proprias, ut ab inductione facile probari posset. Porro, quod Scriptura voces modo dictas in variis significationibus minus propriis accipiat, ex sequentibus exemplis patet. Sic vox *prophetare* etiam significat psallere et laudes divinas canere; quo sensu *Samuel* (6) ad *Saulem* dixit: *Obvium habebis gregem prophetarum* - et ante eos psallerium et tympanum, et tibiam et cytharam, ipsosque prophetantes, hoc est, psalmos et hymnos in honorem Dei canentes. 2. Alibi vox *prophetare* significat Scripturas interpretari. Sic (7) legimus: *Qui prophetat*, h. e. qui Scripturas explanat, *hominibus loquitur ad aedificationem*. Similiter quando Deus ad *Moysen* (8) ait: *Aaron frater tuus erit propheta tuus*, vox *propheta* significat interpretem ita, ut sensus sit: *Aaron erit interpret tuus*, per quem, quae vel *Pharaoni*, vel populo dicta voles, exponi et promulgari facies. 3. Iterum alibi vox *prophetare* significat prophetiam confirmare. Sic de *Ioseph aegyptio* (9) dicitur: *Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt*, h.

(1) Demonstr. Evang. c. 5.

(2) L. 7 Origin. c. 8.

(3) Vide cl. *Goldhagen* introduct. in s. Script. p. 2, sect. 4, n. 179, p. 348.

(4) Inspice textum hebraicum Deuter. c. 13, v. 1, 2; Num. 12, v. 6. Ier. c. 28, v. 8, 9.

(5) Paral. c. 29, v. 29; item II. Paral. c. 9, v. 29; Isai. c. 4, v. 1; Abdiae c. 1, v. 1, et in aliis Script. locis.

(6) 1. Reg. c. 10, v. 5.

(7) 1. Cor. c. 14, v. 5.

(8) Exod. c. 7, v. 1.

(9) Eccli. c. 49, v. 18.

e. prophetiam ab ipso eitam confirmarunt. Cum enim iuxta ipsius praedictionem ossa sua ex Aegypto elata sint, ea sic translata facto ipso declaraverunt, ipsum fuisse verum prophetam. 4. Alibi vero vox *prophetare* significat miraculum edere. Sic de *Eliseo* (1) legimus: *Et mortuum prophetavit corpus eius*, h. e. miraculum edidit, suscitando mortuum, qui in eius sepulcrum proiectus erat (2). 5. Denique vox *prophetare* quandoque significat insanire, vel ex afflatu spiritus nequam loqui insana. Sic de *Saule* (3) narratur: *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetavit in medio domus sae*, h. e. insaniebat, corpore a daemone, quo obsessus erat, agitato, et aliena ac absurda more arreptiorum loquebatur. Hunc sensum etiam habet illud de sacrificiis *Baal* (4) scriptum: *Illis prophetantibus venerat tempus etc.* Ubi textus chaldaeus recte ponit: *Illis insanientibus.*

SCHOLION. Cum vocis *propheta* aut *prophetare* plures ac diversae, ut modo diximus, sint significationes; haud mirandum, quod increduli more suo eas confundant, et minus proprias eligant, ne maxime propriam admittere ac fateri cogantur, dari aut datos fuisse homines, qui res omni naturali sagacitate superiores (praesertim futuras) divina luce collustrati cognoverint, easque iussu divino manifestarint; prout ex mox dicendis amplius patebit.

4. QUÆRES III. *An prophetae V. T. tantum fuerint concionatores et adhortatores populi?* Ansam huic quaestioni discutiendae dedit su-

(1) Eccli. c. 48, v. 14.

(2) IV. Reg. c. 15, v. 21.

(3) I. Reg. c. 18, v. 10. De eodem Scripturae loco vide nostram p. 5 Scriptur. contra incredulos propugn. sect. 1, c. 1, q. 14 et 15.

pra (5) memoratus *Du Marsais*, qui (6) notionem nominis *propheta* tradit hunc in modum: « Vera significatio (huius vocis) est: CONCIONATOR seu ADHORTATOR. Hoc profecto erat munus prophetarum: adhortabantur populum, ut ad cultum veri Dei reverteretur; minitabantur ei poenas, si in infidelitate sua perseveraret; promittebant ei remunerationes, si ad officium suum rediret. Haec promissa et comminationes habebantur in numero vaticiniorum: et christiani sibi persuadebant, aliqua eorum de Christo venturo intelligenda esse. » Ita ille. Sed ñ. et dico, hunc scriptorem non explicare, sed fraudulenter dissimulare genuinam notionem huius nominis *propheta*. Prima enim et maxime propria huius nominis significatio est, ut denotet hominem qui divina luce collustratus res omni naturali sagacitate superiores (praesertim futuras) praevidet, et iussu divino manifestat; quemadmodum supra (7) demonstravimus. Equidem prophetae populum adhortabantur, populo comminabantur, aut bona promittebant, prout Spiritus s. eis suggestit. Sed inde non sequitur, praecipuam et maxime propriam notionem huius vocis *propheta* designare concionatorem duntaxat aut adhortatorem. Sed, ut iam repetitis vicibus diximus, vox *propheta* proprie significat hominem qui ex divina illustratione res omni naturali sagacitate superiores (praesertim futuras) praevidet et manifestat. Ac profecto omnes, quos christiani inter prophetas seu maiores, seu minores enumerant, erant viri,

(4) III. Reg. c. 8, v. 129.

(5) Vide supra p. 172, nota (1).

(6) In *Anatom. Christian. religion.* p. 47.

(7) Num. 2.

qui divinitus illustrati res futuras praedicebant, quae dein conformiter his vaticiniis reapse evenerunt, et quandoque multis post illa vaticinia seculis. Haec igitur omnium sapientum iudicio est praecipua et maxime propria notio prophetarum.

5. QUÆRES IV. *An prophetae hebraeorum fuerint homines fanatici, deceptores populi, vanique astrologi: vel saltem (quemadmodum auctor pestiferi libri Horus dicti (1) fingit, et identidem repetit) an sua vaticinia de Christo ex male intellectis chaldaeorum, aegyptiorum, et persarum magorum seu astrologorum ethnicis fabulis, et hieroglyphicis symbolis velut venturi Messiae prognosticis consarcinarint?* ñ. Mendaces et blasphemae hae sunt calumniae ad impugnam prophetarum V. T. auctoritatem et theopneustiam ab incredulis excogitatae nec ulla solida ratione nixae. Quaero enim ex hisce calumniatoribus: num ex malitia, vel ex ignorantia factum sit, ut prophetae hebraeorum vanam ethnicorum astrologiam amplexantes, astrologicas fabulas aegyptiorum, chaldaeorum et persarum vaticiniis suis immiscuerint:

(1) Titulus impii huius libri latine est: *Horus, sive astrognosticum iudicium de Apocalypsi Ioannis, et de vaticiniis Messiam praenunciantibus, nec non de Iesu eiusque discipulis. Ebenezer in domo rationis 1784.* Execrabilem hunc librum ex instituto refutavit *Aloys. Sandbüchler* in 51 epistolis. Utinam eruditus hic auctor arma sua literaria, quibus contra *Horum* strenue depugnavit, contra alios quoque novatores stringere perrexisset!

(2) Sic Lev. c. 20, v. 6 legimus: *Anima, quae declinaverit ad magos et hariolos, et fornicata fuerit cum eis (h. e. magos aut hariolos de futuris et occultis consulerit), ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui.* Alii textus, quibus Deus in Pentateucho magos et hariolos ethnicos detestatur, sunt Lev. c. 19, v. 26 et 31. Deut. c. 18, v. 10.

easque dein de venturo Messia interpretati sint? NON EX MALITIA. Quis enim est adeo imperitus, ut nesciat, quanta vigilantia et cura prophetae studuerint religionem hebraeorum ab omni superstitione puram conservare, et legis observationem ad amussim severe exigere, quae omnem vanam divinationem et hariolationem sub poena mortis (2) prohibebat? Quis nescit, quam sollicitè iidem populum dehortati fuerint, ne astra vane observarent, aut a signis coeli superstitione sibi metuerent (3); item quam contemptim de astrologis, magis et hariolis ethnicarum nationum semper locuti sint (4)? Igitur studiosè et ex malitia, hebraeorum prophetae astronomicas gentilium magorum fabulas et superstitiones observationes vaticiniis suis non immiscuerunt. Restat, ut id fecerint EX IGNORANTIA, prout famosus ille *Horus* de iisdem asserit. Verum quis prudens prophetas suspectos habeat de tam crassa ignorantia sive circa legem mosaicam vanitatem astrologiae et fabularum ethnicarum summopere detestantem, sive de ignorantia repugnantis harum fabularum adversus sanctam religionem? Quis, inquam, tantam, tam supinam de prophetis hebraeorum ignorantiam suspi-

(3) Ierem. c. 10, v. 2 dicitur: *Haec dicit Dominus: Iuxta vias gentium nolite discere: et a signis coeli nolite metueri, quae timent gentes.*

(4) Sic Babylonis humiliatio ab *Isaia* praedicitur propter ipsius superbiam et crudelitatem in iudaeos captivos; et quia in auguribus coeli seu astrologis, et incantatoribus spem posuit. Verba *Isai*. c. 47, v. 12 et 13, sunt haec: *Stia (o Babylon)! cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte, quid prosit tibi... Stent et salvent te augures coeli, qui contemplantur sydera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.*

cetur? de viris, aīo, divino lumine adeo collustratis, ut remotissimos rerum eventus post secula futuros certissimo praeviderint; prout exactissima harum rerum reapse gestarum consensio cum vaticiniis praecedentibus luculenter demonstravit. Profecto tam extraordinarium divinum lumen tantam ignorantiam sibi sociam non habet. Accedit, quod ipsa laudatorum prophetarum volumina sine praeiudicio, et sincero veritatis amore lecta, putidam illam criminationem ab incredulis adversus eosdem effutitam abunde refellant. Firmitas enim argumentorum, selectus sententiarum, sublimitas styli, flumen eloquentiae et sacrae poëseos in libris prophetarum ubique se prodit et testatur, auctores horum voluminum non levi admodum cura aut sine alio instinctu locutos esse; nec instar obscurissimorum oratorum aut poetarum defectum proprii ingenii alienis et peregrinis ethnicorum fabulis suppluisse.

6. COROLLARIUM. Atrox incredulorum calumnia est, prophetas hebraeorum fuisse homines fanaticos, impostores, aut vanae astrologiae cultores. Fuere iidem potius viri, quamvis non semper omni humana infirmitate superiores, tamen ut plurimum vitae integrae et inculpa-

(1) Sic Ieremias Thren. c. 4. v. 11 et 15, ita lamentatur: *Complexit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae, et succendit ignem in Sion... propter peccata prophetarum eius, et iniquitates sacerdotum eius.* Similiter Malachias c. 2, v. 1, 2, 3, sacerdotibus, ni respiciant, in nomine Dei his verbis comminatur: *Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut delis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris... Ecce ego proiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitate vestrarum, etc.*

tae, in qua etiam infensissimi ipsorum hostes nil vituperandum, alii vero multa encomio ac admiratione digna deprehenderunt, praesertim ob severam illorum abstinentiam, et austeram vivendi conditionem. Fuere iidem viri ardentissimo studio promovendi bonum reipublicae, legis observationem, et Altissimi honorem praediti; viri qui officio sibi divinitus delato nunquam non fideliter ac strenue fungebantur. Inde generosus ille privati commodi neglectus, quo munus suum explebant; illa libertas animi, qua regibus et subditis, magnis et parvis, sacerdotibus (1) et laicis horrenda ipsorum scelera in faciem exprobrabant; eosdem ad agendam seriam poenitentiam hortabantur, secus terribiles poenas a Domino obstinatis infligendas praenuntiantes; inde invicta illa animi fortitudo, qua publicas ignominias, acerbissimos cruciatus, et quandoque (2) ipsam adeo violentam mortem constanter excipiebant. Itaque non fanatici, non impostores, non deceptores populi erant prophetae hebraeorum, sed multo magis viri prorsus admirandi ac veneratione digni, Deo coniunctissimi, legati Numinis ad populum suum missi, interpretes divinae voluntatis, et reconciliatores pacis inter coelum

(2) Sic constans hebraeorum, christianorumque traditio fert, Isaiam initio regni Manassis regis Iudae, serra dissectum obiisse. Vide Origen. in c. 25 Matth. et epist. ad Iulium afric. Tertull. de patientia c. 14. Iustin. contra Triphon. Hieron. l. 15 in Isai. August. lib. 18 de Civit. c. 24, etc. Sic etiam complures ex antiquis (nimirum Tertull. ad Gnost. c. 8. Hieron. contra Iovin. lib. 2. Epiph. de vita et morte prophet. etc.) tradunt, Ieremiam prophetam lapidibus obrutum in Taphois a iudaeis, eius minas, atque loquendi libertatem impatienter ferentibus, ac de ipso dictum intelligunt illud Apostoli Hebr. c. 11, v. 37, *lapidati sunt.*

et terram, qui extraordinariam missionem suam etiam extraordinariis signis et prodigiis (1), ipsaque resurrectione mortuorum (2) interdum confirmarunt.

7. QUÆRES V. *An ars prophetandi instar aliarum artium aut scientiarum apud hebraeos tradita fuerit? Et quid aut quales apud eosdem fuerint scholae prophetarum?* Huic quaestioni ansam praebet enormis illa incredulorum calumnia, teste cl. Sigismundo Storchenau (3) contententium, apud hebraeos artem prophetandi fuisse ordinariam (4), quae instar aliarum artium aut scientiarum in scholis prophetarum, praesertim a *Samuele*, discipulis tradita fuerit; quam tamen non nisi homines ex infima plebe didicerint, et dein in foro, seu locis publicis populum fictis visionibus et fabulosis deliramentis deluserint, ferme quemadmodum in magnis urbibus circulatores facere solent.

Verum, o immanem calumniam! Quis enim nescit, quales quantaeque auctoritatis viri inter prophetas numerentur? Orbi notus est *Moses* liberator et dux filiorum Israël: *Samuel* iudex et praeses totius Israël: *David* rex: *Daniel* a regibus Babylonis ad praecipuas regni dignitates promotus: *Isaias* e regali genere: *Ieremias* et *Ezechiel* e sacerdotali genere oriundi. An omnes hi nobiles et illustres viri ex infima faece plebis erant? An verosimile, quod iidem ad instar vilissimorum histrionum aut circulatorum nugis et fabulis populum deceperint? Equidem etiam in plebe dabantur se-

(1) Vide Isa. c. 58, v. 1-9. Item IV. Reg. cap. 2, v. 8. Et ibid. cap. 4, v. 5, 6, 45.

(2) Sic Elias III. Reg. c. 17, v. 22, et Elisaeus IV. Reg. c. 4, v. 34, etc., defunctum revocarunt a morte ad vitam.

lecti homines, qui prophetiae dono gaudebant. Sed huius rei causa prophetia fuit non ars aut instructio humana, sed quia spiritus spirat ubi vult, neque acceptor est personarum. Unice enim a Deo (uti ex sequentibus quaestionibus amplius patebit) pendet grande illud donum prophetiae, quod largitur quando et cui vult; quodque neque natura, neque ars, neque ascititia ulla notitia, necabilitas corporis, nec capacitas ingenii, nec nobilitas generis conferre possunt.

Unde absurdissimum est, scholas fingere, in quibus prophetae discipulos suos ex instituto artem prophetandi edocuerint. De hariolis quidem ethnicarum nationum simile quid cogitare licet; ii enim certas habebant vaticinandi regulas ex situ astrorum, ex volatu avium, ex constitutione viscerum in victimis, ex somniis, et centenis aliis casibus opinione hominum fortuitis, ex quibus nescio quas absurdas et mendaces faciebant coniecturas, ad homines praesertim rudes decipientes, et modo ad gaudium, modo ad terrorem, modo ad spem, modo ad desperationem impellendos. Verum de hebraeorum prophetis nil tale dici potest, sed potius oppositum, ut supra (5) demonstratum est.

8. SCHOLION. Negari quidem nequit, quod quaedam SCHOLAE PROPHETARUM apud hebraeos datae fuerint; utpote quas ipsa s. Scriptura indicat. Verum in his scholis discipuli non in arte proprie prophetandi, seu res futuras omni humana sagacitate superiores praedicendi;

(3) P. 5. Appendic. ad philosophiam religion. pag. 79-84, germanicae editionis Augustae Vindel. 1787.

(4) *Ein Handwerk*, italice, un mestiere.

(5) Quaest. 4, n. 5, 6 et 7.

sed in studio, contemplatione et lectione sacrae Scripturae, ac in cantandis hymnis et laudibus divinis exercebantur. Schola eiusmodi in *Naioth Ramathae* sub *Samuele* floruit, quo satellites suos misit *Saul*, ut apprehenderent *Davidem*; sed illi propiores facti coetui prophetarum, cuius erat princeps *Samuel*, pariter prophetare, id est, Deum sacris hymnis et canticis laudare (1) coeperunt; prout (I. Reg. 19, v. 20) narratur his verbis: *Misit ergo Saul victores, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium* (i. e., laudantium Deum solitis hymnis et psalmis), *et Samuelem stantem super eos* (quasi eorum praecentorem et choragum), *factus est etiam Spiritus Domini in illis* (licitoribus) *et prophetare* (i. e., psallere) *coeperunt etiam ipsi*. Dictavit nimirum Spiritus Domini memoratis satellitibus hymnos, quos canerent, puta eosdem, quos canebat *Samuel* cum suis, et simul in didit eis affectum canendi, ac modulos vocis ad scite canendum. Censendus autem est Deus hoc fecisse in gratiam *Davidis*, ut is haberet tempus effugiendi. Porro tales, quas paulo ante diximus, scholae prophetarum, etiam erant in *Bethel*, iuxta illud (2): *Egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel,*

(1) Vox prophetare saepe in s. Scriptura significat psallere, seu laudes divinas decantare, nominatim si sermo est de memoratis scholis prophetarum, aut de coetu plurium in honorem Dei cantantium. Sic *Samuel* (I. Reg. c. 10, v. 5) ad *Saulem* dixit: *Obvium habebis gregem prophetarum - et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam et citharam, ipsosque prophetantes* h. e. psalmos et hymnos in honorem Dei canentes. Sic etiam *Chonenias*, I. Paralip. c. 13, v. 19-23, dicitur praefuisse prophetiae ad praecinendam melodiam, et vocatur princeps prophetiae, id est melodiae inter cantores; et I. Paralip. c. 25, v. 4, *David et magistratus*

et in agro *Ierichuntino* (3): *Accesserunt filii prophetarum, qui erant in Iericho*. Hi nimirum et similes erant *Eliae*, *Elisei*, aliorumque prophetarum discipuli, qui quasi viri religiosi totos se dabant Deo et contemplationi legis divinae, ac cantandis hymnis et canticis sacris. Iidem tamen non erant omnes prophetae proprie dicti, qui futura praedicarent; quamvis inter eos aliqui tales fuerint, ut recte observant *Tirinus* (4) et *Cornelius a Lap.* (5). Qui autem ex iis erant prophetae proprie tales, et res futuras omni sagacitate humana superiores praedixere, id non didicerunt in scholis aut institutione humana, sed inspiratione divina more aliorum prophetarum proprie talium. Certe contrarium adversarii nec ex Scriptura, nec alio probabili argumento ostendere possunt.

9. QUARES VI. *An prophetae quando ad vaticinandum se accingebant, sese inebriarint, aut vehementes corporis agitationes ad caput infatuandum et perturbandum exercuerint; quas tamen populus ex supernaturali impulsu et divina inspiratione provenire putabat?* Ita denuo calumniatur increduli (6) dicentes: « Prophetarum morem fuisse, ut se prius inebriarent; et dein instar *Corybantum*, aut in-

exercitus dicuntur varios constituisse, qui prophetarent in *cytharis*, et psalteriis et cymbalis. Ex quibus vel solis instrumentis patet hic agi non de praenuntiatoribus futurorum aut absentium, sed de cantoribus musicis, seu modulatoribus psalmodorum.

(2) IV. Reg. c. 2, v. 5.

(3) Ibidem v. 5.

(4) Comment. in I. Reg. c. 10, v. 5.

(5) Ibidem. Item comment. in IV. Reg. c. 2, v. 5.

(6) *Morgan* tom. 1, p. 22. *Esprit du judaïsme*, note p. 123. *De l'Homme*, tom. 2, pag. 102.

dorum, aliorumque ethnicorum vatum inter varias ineptas corporis distorsiones et indecoras gesticulationes, temulenti saltantesque vaticinarentur. Sic *Saulem*, quando se accingebat ad prophetandum (1) exuisse omnia vestimenta sua: et *Davidem* prophetam adeo indecore ante arcam nudum saltasse, ut eius uxor id (2) eidem acerbe exprobravit dicens: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se... et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris*. Sic etiam *Isaiam* (3) cum prophetaret, totum denudatum; *Ieremiam* vero funibus et catenis onustum, per urbem incessisse (4); interdum vero prophetis (5) opus fuisse psalle aliquo, et instrumentis musicis ad recipiendam propheti- cam inspirationem etc. »

10. Sed primo dicant increduli, qui prophetas tam impie calumniantur: Ubinam in sacris bibliis legerint, prophetas vaticinatos, sese prius inebriasse, aut vehementibus et insanis gesticulationibus caput suum perturbasse? Profecto tam gravis accusatio non temere effugienda, sed manifestis rationibus demonstranda foret. Secus horrendae calumniae se reum facit, quisquis viros, quorum apud suos, et quosdam etiam coaevos reges ethnicos magnum nomen, maxima auctoritas erat, tam foedorum scelorum arguit; quae tamen nulla solida ratione probare potest. Certe exemplum *Saulis* et *Davidis* ab adversariis in obiectione allatum prorsus non est ad rem. Agimus enim hic de prophetis proprie talibus, et de prophetis proprie dictis: sed nec ex s. Scriptura, nec aliunde constat,

(1) I. Reg. c. 19, v. 24.

(2) II. Reg. c. 6, v. 20.

(3) *Isai* c. 20, v. 2.

(4) *Ierem.* c. 27, v. 2.

(5) IV. Reg. c. 5, v. 15.

quod *Saul* aut *David* in illis circumstantiis proprie (6) prophetarint: sed id solum Scriptura in obiectis locis dicit, quod *David* coram arca saltaverit; *Saul* vero altiore impulsu incitatus, etiam ipse cum ceteris coram *Samuele* prophetaverit, nimirum improprie (7), h. e. laudes divinas seu hymnos cecinerit; prout interpretes hunc locum unanimiter intelligunt.

11. Praeterea falsum est, quod in obiectione additur, scilicet *Saulem* tunc se exuisse omnibus vestimentis suis. Dicitur quidem de *Saule* cit. loc. *Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris... et cecidit nudus tota die illa et nocte*. At hoc non sic intelligendum, ac si omnibus, etiam interioribus se vestimentis exuerit, et omnino nudus in terram procubuerit; sed iuxta communem interpretum sententiam, expoliavit se duntaxat exterioribus vestimentis regis, quibus a vulgo secernebatur. Et hoc sensu dicitur *nudus cecidisse*, h. e., more adorantium saepe procidisse in terram, venerationis et honoris ergo, ut solebant ceteri illi prophetantes. Nudus enim vere dicitur tum apud sacros, tum apud profanos auctores, qui sui ordinis ac dignitatis ornamentis exutus est. Sic nudus ambulare dicitur, qui praeter morem patrium, sine toga ac pallio foras egreditur. Sic etiam *David* loc. cit. dicitur nudus ante arcam saltasse, quia paludamento regio spoliatus. Nam nudum omnino omni veste non fuisse vel inde patet, quod ibidem (8) dicatur indutus fuisse *lineo ephod*. Sic pariter *Isaias* loc. cit. nudus

(6) Quis sit prophetae proprie talis, et quid sit proprie prophetare, iam supra num. 1-5, explicavimus.

(7) Vide supra n. 5.

(8) II. Reg. c. 6, v. 14.

incessisse dicitur, quia abiecerat vestem prophetalem seu cilicinam, sine qua citra notam incedere non poterat. Praeterea notandum, quod in Scriptura talis aliquis dicitur, cum parum abest a forma, a qua proprie, et vere talis vocari posset. Sic apud *Isaiam* (1) *siccus* vocatur *Nilus*, quando minus habet aquae quam soleat, aut quam exigit agri aegyptii necessitas. Et Actor. 27, v. 33 *ieiuni* fuisse scribuntur socii *Pauli* quatuordecim diebus, eo quod toto illo navigationis tempore, famem tenui admodum cibo sustentabant. Similiter ergo *Saul* et *Isaias* citatis locis dici possunt nudi, quia parum ab omnimoda nuditate aberant. Ceterum non solum in sacris literis, sed etiam apud profanos familiari phrasi saepe aliquis dicitur talis, cum parum abest ab ea forma, a qua vere et proprie solet quis talis vocari. Unus sufficiat *Seneca*, qui expressis verbis dicit, *male vestitum et pannosum, nudum* vocari solitum. Verba eiusdem (2) sunt: *Quaedam etiamsi vera non sint* (verbis in sensu strictissimo sumptis), *propter similitudinem* (adde et propter vicinitatem) *eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum; sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.*

12. Porro etiamsi verum esset, quod *David*, *Saul*, vel *Isaias* cit. loc. omnibus omnino vestimentis sese exuerint, prout saltem de ultimo graves auctores (3) asserunt; nihil inde increduli contra dignitatem et theopneustiam prophetarum lucrarentur. Potuissent enim id sine peccato et ex instinctu divino facere;

(1) *Isai.* c. 49, v. 5.

(2) *L.* 5, de beneficiis, c. 15.

(3) *S. Hieronymus, Aymo, Dionysius, Sasbouth, Cornelius a Lap.*

quemadmodum *Cornelius a Lap.* (4) de *Isaia* gravibus argumentis ostendit. Quis enim Deo supremo rerum omnium domino neget potentiam, id ex altissimis et sapientissimis finibus praecipendi; praesertim cum ei haud difficile sit, scandalum omne, quod inde connaturaliter oriri posset, impedire?

13. NEQUE DICAS: Incedere omnino nudum, est turpe et scandalosum ac incentivum libidinis: ergo hoc *Isaiae* non potuit praecipere Deus. R. Cum *Cornelio a Lap.* (5) « antecedens esse quidem verum si id sponte, et ex petulantia fiat: non autem, si fiat ex necessitate, ut cum quis nudus fugit ex incendio, aut excidio urbis; aut si fiat ex voluntate et iussu Dei: tum enim Dei mandatum omnem ab hac nuditate foeditatem abstergit. Iudaeis autem constabat, *Isaiam* esse prophetam Dei, et ex Dei iussu nudum incedere, idque ad hoc, ut populum (Aethiopiae et Aegypti) pari modo ab hoste (ab assyriis) expilandum et captivos nudandos portenderet; unde magis ad metum et pavorem, quam ad libidinem (propheta) hac nuditate sua incitabat: praesertim quia corpus eius iam effectum hirsutum, macie et inedia confectum, horrorem potius movebat, quam concupiscentiam. »

Addo, quod, si iussu Dei quaedam ponatur actio natura sua et per se loquendo indifferens (qualis est incedere nudum), in eadem omnis ratio scandali directi et per se talis cesset, et ipso illo, qui iubet, providente impediatur; aut certe, si scandalum per accidens oriatur, illud non Deo, sed solum malitiae hominis tale Dei iussum scientis, adscribendum sit.

(4) Comment. in *Isai.* c. 20, v. 2.

(5) *Ibidem.*

14. Ex dictis facile colligitur, quod sicut Deus recte et sancte *Isaiam* iussit nudum incedere, ut portendat Aegypti et Aethiopiae spoliationem, et captivorum nuditatem; ita pariter absque absurdo potuerit *Ieremiae* praecipere, ut vinculorum et catenarum gestatione et ad vicinos reges transmissione portendat et praedicet, gentes illas omnes subdandas chaldaeis. Nunquid enim Deo liberrimum non est, per suos prophetas aliquid praedicere verbis vel factis (1)?

15. Denique ad id, quod de *Eliseo*, antequam prophetaret, psaltem advocante, ab adversariis supra dictum est, iam alibi (2) respondimus. Id solum addo, quod quamvis Spiritus s. spiret ubi vult, et nullis certis regulis, e. g. artis musicae, inspirationem suam alliget; tamen negari non possit, ad pietatem aliquod musicae genus opportunum esse, quale est illud, quod ad sacrum officium adhibet ecclesia, quod, ut experientia ipsa norunt viri pii, animos quodammodo abstrahit a terrenis et rapit ad coelestia, non hoc sensu, quod moduli musici sint positiva dispositio ad gratiam supernaturalem, sed duntaxat, quod removeant obstacula gratiae naturaliter orta, e. g. immoderatam tristitiam, iram etc., sicque animum suo modo disponant ad gratiam, quam Deus gratis dat, recipiendam. Sane s. *Augustinus* in Confession. mire se affici dicebat, cum canticum audiret ecclesiasticum. Sic enim (3) Deum alloquitur: « Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis ecclesiae tuae vocibus com-

motus acriter! Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis. » Neque alios numeros aut cantus audivit *Eliseus*, quam qui modo ab ecclesiasticis personis in ecclesia cantantur. Ut enim docet *Theodoretus* (4), psaltes ille, qui suo cantico excitavit spiritum *Elisei*, et ad excipiendum divinum afflatum apte disposuit, levita fuit, qui psalmos cecinit davidicos. « *David, inquit*, levitas uti iussit cytharis, et tibiis, et cymbalis, et aliis instrumentis. Utebantur autem ipsi spirituali Davidis modulatione. Ex his unum iussit accersiri propheta (*ELISEUS*); illo autem psallente, quod erat agendum significavit gratia Spiritus. » Quemadmodum enim psalmus malum e *Saule* (5) spiritum pellebat aut sedabat (nam suos tunc psalmos cecinisse *Davidem*, verisimile est); sic etiam psalmus bonum spiritum advocare potuit. Qua de re vide *Gregorium M.* homil. I. in *Ezechielem*, ubi per psalmodiam dicit omnipotenti Deo ad hominum corda iter aperiri. Certe s. *Franciscus Seraph.* ad lyricinis cantum ad coelestium rerum contemplationem excitabatur.

16. QUARES VII. An ad prophetiam supernaturale lumen a Deo infusum requiratur, vel an ea potius homini prophetanti possit esse naturalis et varia pro vario temperamento seu dispositione corporis, vel imaginationis, aut pro ratione opinionum, quas antea talis homo amplexus fuerat? R. Vis prophetica homini naturalis esse non potest;

(1) Vide supra num. 4.

(2) Vide Script. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 5, sect. 4, c. 4, q. 60, pag. 149-155.

(3) *L.* 9 confession, c. 6.

(4) Comment. in lib. IV. Reg. q. 11.

(5) Vide Script. s. contra incredulos propugn., V. T., p. 3, sect. 4, c. 1, q. 14, pag. 26-28.

neque ea pendet a temperamento, seu dispositione corporis, vel imaginationis prophetae, aut ab opinionibus, quas iste antea amplexus fuerat. Antequam autem hanc nostram responsionem magis declarem et probem, observo, quod huic quaestioni enucleatius discutienda ansam dederit *Spinoza* (1) cum quibusdam aliis (2) audacter affirmans, non unam in omnibus prophetis, sed diversam fuisse prophetiae rationem pro varia dispositione corporis, inclinationis, habituum atque opinionum, quibus antea prophetae imbuti erant: quod idem est ac dicere, prophetiam inter cognitiones naturales recenseri posse, et a naturali prophetantis dispositione pendere.

Verum ostendo contrarium, atque ita argumentor: Saepissime a prophetis praedicta sunt futura contingentia, quae a solius Dei, vel etiam a liberarum causarum arbitrio dependent; ut cl. *Goldhagen* (3) per multa exempla ostendit, e. g. dum *Balaam* (4) de *Saule* Israëlitis rege praedixit: *tolletur propter Agag rex eius, et auferetur regnum illius*, h. e., propter *Agag* servatum *Saul* rex Israëlitis excidet regno; prout reapse (5) (etiam factum est: aut dum idem propheta de romanis praenuntiavit: « Venient in trieribus de Italia, superabunt assyrios, vastabuntque hebraeos (nimirum *Vespasiano* et *Tito imperantibus*) et ad extremum etiam ipsi peribunt: »

(1) Tractat. theol. polit. c. 2.

(2) Teste cl. *Thoma Cerboni* (Theolog. revelat. tom. 1, l. 1, q. 2, art. 5, pag. 78) iam ante *Spinozam* idem hac in resenserant *Petrus Aponensis*, *Pomponatius*, *Cardanus*, et alii, quos tamen etiam multi acatholicorum solide confutarunt. Eandem *Spinozae* et aliorum sententiam nos ipsi alibi (nimirum p. 5. Script. s. contra incredulos propugn., V. T., sect. 1, c. 4, q. 70, p. 149-155) breviter refutavimus.

aut dum *Isaias* (6) mira de *Cyro* praedixit, expresso etiam eius nomine: aut dum *Daniel* de futura Christi occisione et excidio Hierosolymae per *Titum* (7) definite enuntiat. Taceo plura alia, quae nulla naturali sagacitate praevideri potuerunt, utpote a solius Dei et liberarum causarum arbitrio pendencia. Et profecto excutiant hic spinosistae, theistae, aliique increduli, quidquid ingenii habent, ut ratione quadam verisimili probent, naturali quadam sagacitate haec tam varia, tam ab omni expectatione aliena, tam longe a prophetantium temporibus remota praedici adeo distincte potuisse. Nil nisi absurda hic dicunt, prout cl. *Houttevilleus* (8) manifestissime ostendit.

CONFIRMATUR I. Si prophetia dici posset naturalis, tunc vel ideo, quia eiusdem principium activum esset natura, vel quia natura eas dispositiones produceret, ad quas vis prophetandi consequeretur? Neutrum dici potest. *Non primum*. Nam si principium activum prophetiae esset natura, tunc anima, quandocunque vellet, futura praenosceret posset; sicut quandocunque vult, intelligit, si aliunde non impeditur: atqui falsum est, animam, quandocunque vult, futura praenosceret; ut quivis facile videt. *Neque etiam alterum*. Intellectus enim noster viribus naturalibus ad ea tantum cognoscenda disponitur, quae vel ex naturalibus causis praevideri, vel coniectura, aut argumentatione prospici possunt; verum ut etiam ea cognosca-

(3) *Introduct. in s. Script. p. 2, sect. 4, q. 5, § 2 et 3, pag. 361-367.*

(4) *V. l. n. c. 24, v. 7.*

(5) *Vide I. Reg. c. 15.*

(6) *Cap. 44, v. 26, 27, 28, et c. 45, v. 4.*

(7) *Cap. 9.*

(8) *La relig. chrét. prouvée, tom. 5, chap. 4.*

mus quae omnino latent, et a libera Dei et hominum voluntate pendunt, nunquam intellectum vi naturali capacem reddere valemus.

CONFIRMATUR II. Per prophetiam eae res cognoscuntur, quae non solum nondum evenerunt, quando cognoscuntur, sed neque ex naturalibus causis, neque ex ea conditione rerum, quae sensui, aut rationi obversatur, conici possunt, sed haec solus Deus omniscius cognoscere valet; quia ea sunt talia, ut in suis causis ab humana mente praevideri non possint: ergo solus Deus prophetiae auctor esse potest, scilicet per lumen supernaturale, hoc est, transcendens vim nostram cognoscendi naturalem. Hinc recte *Origenes* (1) inquit: « Propria divinitatis nota est, res futuras ita praedicere, ut praedicendi ratio vires humanas superet, et ex eventu iudicetur, divinum spiritum esse praedictionis auctorem. »

17. COROLLARIUM I. Hallucinatur *Spinoza*, dum asserit, variam in unoquoque propheta revelationem fuisse pro dispositione temperamenti corporis, indeque factum esse, ut prophetae, prout bene vel male erga alios affecti erant, aut ad hilaritatem vel tristitiam inclinabant, laeta vel infausta praedixerint; prout exemplo *Elisei*, antequam prophetaret, psaltem advocantis (2), ut huius cantu ad hilaritatem excitaretur, aliisque similibus exemplis ex Scriptura adductis probare contendit. Verum praeter iam dicta contra est I. Quaerimus a *Spinoza*, quatenam ad prophetandum habitudo corporis necessaria sit? Cum enim inter tam multos, qui usque modo vixerunt, tam pauci prophe-

tiae dono inclaruerint, neque omnes, qui hilari animo erant, laeta, qui autem tristi, infausta praedixerint, explicare ipse debet, quae potissimum ratione propter habitudinem corporis nonnulli prospera, adversa alii praenoverint: cur non omnes, qui in alios bene affecti erant, felicitates, qui autem male, infortunia illis praenuntiaverint? Cum enim se philosophum esse profiteatur, et philosophica ratione prophetiae donum explicare audeat, huius rei rationem afferre debet. Quia ergo nullam verisimilem afferre unquam poterit, abunde patet, eum turpiter hallucinari. II. Ex ipsa Scriptura manifeste ostendi potest, falsum esse sanctos prophetas, prout bene vel male erga alios affecti erant, aut ad hilaritatem, vel tristitiam inclinabant, laeta vel infausta praedixisse, sicuti *Spinoza* inepte nugatur. *Moses*, quamvis in *Pharaonem* male affectus, et propter israelitarum calamitates tristi animo esse deberet, tamen non sola infortunia illi, si Dei mandatis non obsequeretur, praedixit, sed etiam liberationem ab his malis propter suas ad Deum preces futuram esse praenuntiavit, modo quidem ut ranae (3), atque muscae (4) ab eo recederent, modo ut grando, atque tonitrua cessarent (5). Falsum itaque est, *Moysem* quia in *Pharaonem* iratus erat, nonnisi mala et infortunia ei praedixisse. *Ioseph* eunuchis secum in carcere degentibus, alteri supplicium crucis subeundum, alteri in pristinam dignitatem restituendum esse, eodem tempore, eademque animi affectione praeditus praenuntiavit (6), atque *Pharaoni* septem annos ubertatis totidemque alios sterilitatis consecuturos, si-

(1) *L. 6 contra Celsum, n. 10.*

(2) *IV. Reg. c. 5, v. 14 et 15.*

(3) *Exod. c. 8, v. 8-15.*

(4) *Ibidem v. 29.*

(5) *Exod. c. 9, v. 29.*

(6) *Genes. c. 40.*